

TIT. XXIV.

De Jure Jurando.

ALIA species probationis est *juramentum*, quod ideo expediendarum litem maximum remedium nuncupatur. L. 1. ff. b. t. Et dicitur *ius jurandum*, à *juro* quidem: quippe quod juramento permittitur ita firmum, & stabile esse debet, ac si esset jure stabilitum. Vel etiam, quia quod divino testimonio firmatur, quasi jure suo pro vero habendam sit. *Suar. de Relig. de juram. lib. 1. cap. 1.* Etiam *Sacramentum* nuncupatur. c. 1. 2. q. 4. vel 5. c. 1. de *Ferijs. Auth. Sacramenta puerorum. C. Si adversi vendit.* quia attestatio sacra est. Sicque definitur: *Invocatio Divini Nominis in testem.* Siquidem jurate est Deum asserere in testem, juxta *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1. in corp. L. 1. tit. 11. p. 3.* ibi: *Jura es averiguamento, que se face nombrando à Dios, à alguma coisa santa, sobre lo que alguno afirma que es así, ó lo niega.* Et quidem in foro interno vere jurat, qui habet animum invocandi Deum in testem, etiam si hæc, vel illa verba exprimat: *quia non sermone res, sed rei est sermo subiectus.* c. 6. de *V. S.* quimodò etiam nullum verbum profertur. In foro tamen externo attendendus est communis usus verborum, ut secundum illum cognoscatur, an voluisset jurare, vel non. Similiter, si ex circumstantijs censeatur jurare, quamvis verba sint ambigua pro juramento habentur, & è contra. Si verba, quæ aliquomodo juramenta apparent sunt dubia, non debent pro juramenti haberi, si ex circumstantijs sine intentione jurandi profertur constet. Et fanè potest Deus dupliciter in testem invocari. 1. explicitè. Sic: *Deum in testem invoco: Juro per Deum. Math. 5. c. 7. 22. q. 1. c. 26. b. t. l. 1. tit. 11. p. 3.* Hæc formulæ: *Deus novit: Deus te stabitur suo tempore: Coram Deo loquor: Deus videt meam conscientiam:* non censentur invocative, sed tantum narrative profertur, ac proinde regulariter non sunt juramenta, nisi aliud de intentione profertentis ex circumstantijs constet. 2. Deus implicitè invocatur in testem, quando per aliquas creaturas juramus. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 6. in corp. ibi: Dicendum, quod duplex est juramentum; unum quidem, quod fit per simplicem confessionem, in quantum, scilicet, testimonium Dei invocatur, & hoc juramentum innititur Divina Veritate; sicut*

*est licitum & honestum: quod patet ex origine, & fine: ex origine quidem, quia juramentum est in potestatem ex fide, qua homines credunt, Deum habere infallibilem veritatem, & universalem omnium cognitionem; & proficitur: Ex fine autem, quia juramentum inducitur ad justifiandum homines, & ad finiendum controversias, ut dicitur ad Heb. 6. Sed juramentum accipit in malum alicui ex eo, quod male utitur eo, id est, sine necessitate, & cautela debita. Et in art. 4. in corp. ait: In hoc ipso, quod homo per Deum jurat, profertur Deum potiore, ut potè cujus veritas est indefectibilis, & cognitio universalis, & sic Deo aliquomodo reverentiam exhibet. Undè & Apostolus dicit ad Hebr. 6. Quod homines per majores se jurant. Et Hieron. dicit super Math. Quod qui jurat, aut veneratur, aut diligit eum, per quem jurat. Philosophi etiam dicit in 1. Metaph. Quod juramentum est honorabilissimum. Exhibere autem reverentiam Deo pertinet ad Religionem, sive latram: unde manifestum est, quod juramentum est actus religionis, sive latræ. Latius profertur *Suar. lib. 1. de Juram. cap. 4.* quod probatur ex per celebri Text. in c. 26. b. t. ibi: *Et si Christus præcepit secundum Evangelicam veritatem, sit sermo: est, est, non, non: ut affirmatio, vel negatio, sicut procedit ex ore, ita procedit ex corde: quia tamen hominum exersente malitia, simplici assertioni, vel negationi vix creditur, idcirco prudenter adjungitur: quod amplius est, à malo est: à malo quidem, non tam culpa, quam poenæ: nec exhibentium, sed exigentium juramentum: nam incredulitas hujusmodi magis est poenæ, quam culpa: unde non dixit, malum: sed dixit, à malo. Licet enim juramentum prohibuisse Dominus videatur, nusquam tamen per Creatorem, sed per creaturam jurare prohibuit: ne per hujusmodi juramentum transferretur ad creaturam honorificentia Creatoris. Quare cum in Evangelio præmississet: Dico vobis nolite jurare omnino: statim subjunxit, neque per Cælum, quia Thronus Dei est: neque per terram, quia scabellum pedum ipsius est, neque per Hierosolymam, quia Civitas est Regis magni, neque per caput tuum, quia non potest unum capillum facere album, aut nigrum. Et quævis non sit per creaturam jurandum, si tamen juratur per creaturam, servandum est quidem, dummodò sit licitum, quod juratur: quia teste veritate, qui jurat in celo, jurat in Throno Dei, & in eo, qui sedet super eum. Facibus quoque non simpliciter prohibet juramentum, sed voluntatem jurandi, cum ait: Ante omnia fratres mei nolite ju-**

201 Juramentum, si debite fiat, non solum non est malum, ut contra Albanenses, Pelagianos, & alios Hæreticos est de fide certum, ut probat *Suar. de Juram. lib. 1. cap. 2.* sed etiam est actus religionis licitus, & laudabilis. *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 2. in corp. ibi: Sic ergo in proposito dicendum est, quod juramentum secundum se*

rare: quoniam ad juramentum non debet quæquam spontanea voluntas inducere, sed necessitas trahit imperantia. Et tunc potest sine culpa jurare, dummodò sit honestus, omnes habeat juramentum, de quibus reprobat a vit; & jurantur, & citò Dominus in veritate, & juraicio, & justitia. Quod autem factus jurat: neque per Cælum, neque per terram, neque per quodcumque aliud juramentum: jurare videtur per quamlibet creaturam, quæcumque sit illud, alioquin non dicitur, & postolus: Homines per majorem suam jurant omnino controversie coram ad. In confirmatione finis est juramentum. In quo patens est, ut dicit per quem sit juramentum, cum ait: Homines per majorem suam jurant: id est, per Deum: & cur sit jurandum, ut videtur omnino controversie finis sit juramentum. Ange- lus quoque, quem vidit in peccati Joannes stantem super mare, & super terram, levavit manum suam ad Cælum, & juravit per viventem in aëula saeculorum. Christus etiam plus legitur dixisse in Evangelio, quam est, est, non, non: cum sapissime dixerit: Amen dico vobis: quod ipse secundum Lucam exponens, cum præmississet: Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus est in patria sua: consequenter ad unxit: in veritate dico vobis, quia mille viduae erant in diebus Helia in Israel. Apostolus quoque jurabat cum diceret: Testis est mihi Deus: Si enim per se malum esset jurare: profectò Dominus non jurasset, cum tamen in Veteri Testamento legatur, quia juravit Dominus, & non punirebit eum. Et rursus: Juravit Dominus David veritatem, & non frustrabitur eum: & præcipit in Veteri Testamento: reddere Deo juramenta sua.

202 Præterea honestas, & licitudo juramenti praxi omnium Tribunalium comprobatur. Siquidem testes non aliter recipiuntur in judicio, quam jurati. Liti-gantes etiam juramentum calumnia præstant. Deinde, qui in Magistratus, Episcopos, Doctores, Advocatos, Magistros Militum, Provinciarum Gubernatores, Regnorum Pro-Reges, Duces Navium, Castrorum Custodes. Hispanæ: Alcajdes, & Castellanos. Et ferè omnes, qui ad aliquod munus publicum, eliguntur juramentum præstant servandi Leges, statuta, fidelitatem, obedientiam, & suo munere, & officio fideliter utendi: quod juramentum aliquando dicitur *homagium*, Hispanè: *leyto omenage.* Et hoc quidem fit à nobilibus, & Vassallis in rebus feudalibus, & à Custodibus Castrorum, & Ducibus Navium bellicarum. Et qui homagium præstat, ponit manus suas inter manus Regis, vel

Domini feudi, seu delegati ab ipsis, & in nostra Hispania sub hac forma illud præstat: *Doy mi fe, y palabra, haciendo, como bago, pleyto, è omelage, como Cavallero, y Hidalgo, segun el fuero de España, de cumplir, &c.* Et tale homagium esse juramentum, videtur probari ex *L. 26. tit. 11. p. 3. & tenet Suar. lib. 1. de juram. cap. 13. ex n. 24. Soloz. de Jur. Indiar. tom. 2. lib. 2. cap. 23. ex n. 21. Diction. de Trev. V. Hommage, ubi ait: Hommage en termes de Jurisprudence est un serment de fidelité, qui doit faire tout Vassal, qui possède un fief, au Seigneur dominant. Licet contrarium teneant Greg. Lop. in d. L. 26. Covar. Avend. & alij. Homagium ligium majorem obligationem, & adstrictionem supponit in eo, qui illud præstat, quam homagium non ligium, seu francum. Et hinc qui illud præstat, dicitur homo legius, ut in *Cl. 2. de Sent. & re judic. quasi ligatus*, non solum ratione feudi, sed etiam ratione persone. Nam Domino est obligatus contra quemcumque (Rege excepto) tam intra, quam extra territorium. Et saltem in foro fori homagium, ut juramentum habetur. Sane, quando Princeps obtestatur suam fidelitatem, & honorem, *Hispanè: Empeñar la palabra Real*, in foro fori habetur pro promissione jurata, licet verè juramentum non sit: ac proinde saltem hoc modo homagium non solum ligium, sed etiam francum pro juramento habendum est. Deinde, juramenti honestas potest comprobari omnium Nationum exemplo. Quippe apud omnes in usu habitum est, ut fortissimum vinculum ad exquirendam veritatem, & ad firmandam obligationem. Gentiles enim in testem veritatis id quod Numen, vel Deum esse credebant, invocant. Sic Latinus apud *Virgil. lib. 12. Æneid. Suspiciens Cælum tenâque ad sidera dextram: Hæc eadem, Ænea, terram, mare, sidera juvo: Latonaque genus duplex, Janumque bifrontem, quinque Deum infernam, & dari sacraia Ditis. Audiât hæc genitor, qui fœdera sulmine sancit.* Sic etiam *Ptoebus Phœacenti juravit apud Ovid. lib. 2. Metam. Quoque minus dubites, quod vis petemunus, & illud me tribuente, feris: promissis testis ades, Diji juranda palus, oculis incognita nostris.* Judæi etiam jurant, non quidem per Christum, nec per Crucem, sed per Deum, & illa, que in Veteri Testamento proponuntur. *L. 20. tit. 11. p. 3. Mauri per suum falsum Prophetam jurant. L. 21. tit. 11. p. 3. Hæretici jurant per illa mysteria, quæ credunt. Et Pagani per sua Numina, alias non conferentur præstati**

religione juramenti ligati. Nec tamen est illicitum ab eis juramentum exigere, quando necessitas hoc suadet, quando scilicet testes in judicio producuntur. *C. 16. 22. q. 1. ibi: Alia erga questio est, utrum non peccet, qui per falsos Deos sibi jurari facit, quia ille qui ei jurat, jurat per Deos falsos, quos colit. Cui questionem possunt illa testimonia suffragari, quæ ipse commemorasti de Laban, & Abimelech. Si tamen Abimelech per Deos suos juravit, sicut Laban per Deum Nachor. D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 4. ad 4. ibi: Dicendum, quod licet malo uti propter bonum, sicut & Deus utitur: non tamen licet esse aliquem ad malum inducere. Unde licet ejus, qui per falsos Deos jurare paratus est, juramentum recipere, non tamen licet eum inducere ad hoc, quod per falsos Deos juret. Latè Suar. de juram. lib. 3. cap. 13. Profecto jure nature omnibus utrum rationis habentibus jurare permittitur: jure tamen positivo Sacerdotes ex levī causa non sunt cogendi juramentum præstare. *c. 4. 2. q. 5.* derogat enim Sacerdotis dignitas de ejus veritate facile dubitare. Impuberes etiam cum vix arduitatem juramenti, & reverentiam Deo debitam percipiant, non facile ad juramentum sunt admittendi. *c. 14. p. 15. 22. q. 5.* Et quamvis ad perjurijs, qui tales sunt notorietate facti sit exigendum juramentum, quod oneris est, scilicet, calumnia, malitiæ, & fidelitatis, tamen juramentum, quod contra tertium est, ut purgationis, suppletorium, vel à testibus fieri solitum, non permittitur ipsis, ut sic perjurijs occurratur, *arg. c. 8. de Reg. jur. in 6.* Et quamvis in *c. 1. de Testib.* non admittantur ad jurandum, nisi jejuni, solum hoc de honestate non de præcepto intelligitur: vel etiam intelligitur de jejunio à crapula, & ebrietate.*

203. Quadruplex juramentum solet distingui. 1. *Affertorium*. 2. *Promissorium*. 3. *Execratorium*. 4. *Comminatorium*. *Affertorium* est illud, quo assertitur, seu affirmatur rei præterita, vel præsentis veritas. Et hoc juramentum faciunt testes, qui in judicio producuntur. Et tunc judiciale dicitur. Quod si extra judicium ad asseverandam veritatem fiat, *Extrajudiciale* vocatur. *Promissorium* est illud, quo aliquod possibile, à honestam in futurum promittitur. *Execratorium* est cum quis sibi aliquid malum execratur à Deo intelligendum, si non est verum, quod affirmat, vel promittit, vel si illud non faciat. *Comminatorium* est cum quis sub juramento comminatur alteri; *v. g. per Deum, ego te eadem.* Facit *D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 1.*

ad 3. Juramentum igitur debet comites habere veritatem, iudicium, & iustitiam, ut constat ex *Hierem. 4. v. 2. ibi: Et jurabis, vivit Dominus in veritate, & in iudicio, & in iustitia. C. 26. h. t. D. Thom. 2. 2. q. 89. art. 3. in Corp. ibi: Juramentum non est bonum nisi ei, qui bene utitur juramento: ad bonum autem usum juramenti duo requiruntur, primo quidem, quod aliquis non levidit, sed ex necessaria causa, & discretè juret, & quantum ad hoc requiritur iudicium, scilicet discretionis, ex parte jurantis. Secundo, quantum ad id, quod per juramentum confirmatur, ut scilicet, neque sit falsum, neque sit aliquid illicitum: & quantum ad hoc requiritur veritas, per quam aliquis juramento confirmat, quod verum est, & iustitia, per quam confirmat, quod licitum est. Judicio autem caret juramentum incautum: veritate autem juramentum mendax: iustitia autem juramentum iniquum, sive illicitum. Latè Suar. de juram. lib. 1. cap. 3. Et licet juramentum coram Deo obligans possit interius in intellectu, & voluntate jurantis consummari; tamen respectu hominum debet esse aliquomodo externum. Et hoc quidem potest fieri. 1. Verbis tantum, quæ scilicet significant, Deum in testem asserri; *v. g. Deum testem invoco, vel Deum testor*, etiam si non adjectum verbum: *jurō*, imò si quis dicat: *jurō, me hoc facturum*, nullo alio verbo addito, non est juramentum; cum Deus non invocetur in testem. Nec jurat qui dicit: *jurō per omne*, quod possum jurare. Si quis dicat: *Deus est testis, Deus est veritas*, vivit Deus: coram Deo, Deus scit, quia non mentior: sicut Deus est veritas: sicut Christus est Filius Virginis: sicut Christus est in Eucharistia, vel alia hujusmodi verba proferat, licet hæc potius ut juramenta tonent, cum adhuc sint dubia, quo animo proferantur, debet ex adjunctis declarari. 2. Fit juramentum signis tantum, quando scilicet, statutum est, quod posito aliquo signo externo, juramentum factum censetur: sic mutus si in aliquo negotio, vel in judicio testis sit, juramentum nutibus præstat. Similiter, qui subscribit Epistolam, vel Chirographum, in quo juramentum continetur, juramento obligatur apud Deum, & homines, ut ait *Suar. de juram. lib. 2. cap. 31. num. 4. 3.* Verbis, & signis simul juramentum fit: quando scilicet juramentum aliqua solemnitate præstat. Nam tunc aliqua res facta tangitur, dum verba proferuntur: sic testis Laicus, quando in judicio jurat, digitis pollice, & indice ma-*

nu dextra format crucem: Sacerdos manu dextra ad pectus admodò jurat in verbo Sacerdotis. Equus Ordinis Militaris manum dextram in cruce habitus sui ordinis apponit: qui gradus litterarum in Academjs suscipiunt, jurant tactis Evangelij. *C. 33. D. 63. L. 19. tit. 11. p. 3.* Quod etiam uti omnium Nationum firmatum est: sic apud *Virg. lib. 12. Æneid.* juravit Latinus: *Tango aras, mediisque ignes, & Numina testor.* Et in *L. 20. tit. 11. p. 3.* ponitur forma jurandi Judæorum, ibi: *Deben poner las manos sobre la Tora, con que hacen la oracion. Thora quidem, sive Thora nomen Hebræum est, quod Legem significat, quo nomine quinque Moytis libri significantur. Et in *L. 21. tit. 11. p. 3.* ponitur forma jurandi Maurorum, ibi: *E alzar la mano contra Mediodia, à qui hanan ellos aquibla.* Et licet olim in nostra Hispania juramenta valde solemnia fieri solerent in urbibus Abulæ, & Legionis ad reliquas SS. Vincentij, Agathæ, & Ildidri, hoc jam omnino prohibitum, nec in usu est. *L. fin. tit. 7. lib. 4. R. C.**

204. His ergo pro materia dilucidatione explicatis propius ad tituli medullam accedendo, nunc de juramento assertorio, prout decisionis litium deservit, agemus postea aliquid de juramento promissorio dicturi. Juramentum igitur assertorium quatenus initium decisionis est, dividitur in *voluntarium, necessarium, & judiciale. L. 2. tit. 11. p. 3.* ibi: *De parte la jurata en tres maneras: Cã, d' ex-juris de voluntad, & de premia, & de juicio. Voluntarium, quod etiam conventionalis, & extrajudiciale appellatur, est quod ex libera partium conventionione ab una alteri extrajudicium asseritur, ut si pars illa juramentum præstiterit ipsi stetur, & his finitur. *L. 17. l. 28. ff. h. t. L. 2. tit. 11. p. 3.* Facto ergo juramento his finitur perinde ac si transactio, vel judicis sententia intervenisset. *L. 2. ff. h. t. l. 2. tit. 11. p. 3.* Et jam non amplius queritur de debito, sed solum an juramentum præstitum sit: adeo, ut nec detecto postea perjurio, de rigore juris retractetur juramentum. *L. 1. C. de Rebus credit. nisi in causa legati. L. fin. C. de Rebus credit. L. 25. tit. 11. p. 3.* vel si aliter conventum sit; *arg. L. 23. ff. de Reg. jur.* Tale quippe juramentum ex conventionione legitime accipere videtur: ac proinde apparente perjurio, censetur retractatum juramentum: quinimò attenta æquitate quoties de fallitate juramenti confert, hoc nullam vim debet habere. At verò quoties de hoc non liqueat, juranti, rem sibi de-*

deberi res præstanda est, licet non debeat. *L. 14. tit. 11. p. 3.* Et quamvis sic pejerans apud Deum puniatur, nulla tamen in jure ipsi poena imponitur. *L. 2. C. de Rebus credit. L. 26. tit. 11. p. 3.* Et juxta illam venit intelligenda. *L. 2. tit. 17. lib. 8. R. C. ut in d. L. 26. V. Otra pena, notat Greg. Lop.* Adeo firmum est hoc juramentum voluntarium, ut fortius sit aliquomodo, quam sententia judicis. *L. 2. ff. b. t. ibi: Jus jurandum speciem transactionis continet, majoremque habet auctoritatem quam res iudicata.* Siquidem tale juramentum à parte delatum, juxta plures tollit naturalem obligationem, secus sententia. Unde liberatus ex juramento, si solvat, repetit per conditionem indebitam, cum liberatus per sententiam non repetat: deinde minor restituitur adversus sententiam, non verò adversus juramentum. *L. 16. tit. 11. p. 3.* Tamen in *L. 15. tit. 11. p. 3.* referuntur casus, in quibus majorem vim habet sententia, quam juramentum. Nam licet juramentum revocetur, si nova in contrarium instrumenta reperiantur, secus sententia. Alias differentias ibi videbis. Etiam in jure comparatur hoc juramentum pacto, solutioni, & acceptationi. Et merito: nam liti finem imponit, non minus ac si debitum omnino solutum, & extinctum sit. *L. 1. ff. b. t. l. 12. tit. 11. p. 3.* ibi: *Los Sabios antiguos dixerón, è aun averdase con ellos el Apostol San Pablo, que à las vegadas la jurada es acobamiento, è fin de las contiendas, que nacen entre los omes.* Locus Apostoli habetur ad Hebr. 6. v. 16. ibi: *Homines enim per majorem sui jurant: Et omnis controversia eorum finis ad confirmationem est juramentum.*

205. Decia jam lite per juramentum, res de qua erat controversia traditur ei, qui suam esse juravit, ejusque dominium acquirat, ac proinde si ab ejus possessione cadat, habet rei vindicationem contra detentorem: nisi ille qui rem habet, sit ejus Dominus: siquidem ipsi non nocet juramentum ab alio delatum. *L. 10. ff. b. t. l. 13. tit. 11. p. 3.* Si verò reus juravit, rem quam possidebat, non esse eam penitentis, licet defendatur, quando possidet rem contra deferentem juramentum: si tamen amittat possessionem, non potest eam à possessore repetere vi juramenti, etiam si ipse qui juramentum detulit rem possideat. *L. 13. tit. 11. p. 3.* Si verò actor juravit, vel paratus erat jurare, & ab adversario est remissum juramentum, ipse actor, & ejus hæredes habent actionem

in factum contra reum deferentem, ejusque hæredes, ut actori præstetur, quod sibi deberi juravit. *L. 9. §. 1. ff. b. t.* quod si reus juravit, vel paratus erat jurare, & ab actore est remissum juramentum, ipsi reo, & ejus successoribus, etiam particularibus competit exceptio juratoria contra actorem deferentem, ejusque successores, qua actionem ipsorum elidit, & petit à debito absolvi. *L. 7. l. 8. l. 9. §. 1. ff. b. t. ibi: Jure jurando dato, vel remisso, reus quidem acquirit exceptionem sibi, aliisque: actor verò actionem acquirit: in qua hoc solum queritur, an juraverit dari sibi oportere: vel cum jurare paratus esset, jus jurandum ei remissum sit. L. 8. l. 17. tit. 11. p. 3.*

206. Hoc juramentum præstari debet, alio deferente; nam ultroneum, ut suspicatum, nihil probat, nec aliter præstandum est, quam eo modo, quo est delatum. *L. 3. ff. b. t.* dummodo non sit revocatum à deferente: nam tunc perit est, ac si non fuisset delatum: cum enim tota vis juramenti à concessione partis adversæ dependeat, potest utique pars adversæ juramentum semel delatum, etiam à parte acceptatum revocare, quousque ille, cui delatum est in effectu illud præstiterit. *L. 11. §. de Reb. credit. L. 8. tit. 11. p. 3.* ibi: *La parte que combidare con la jurada, se puede arrepentir, si quisiere, ante que la faga su contendor, à quien combidò con ella. E desque una vez se arrepintiere, non gela puede despues dar.* Potestque hujusmodi juramentum in quacunque controversia præstari. *L. 3. §. 1. ff. b. t.* in causa tamen matrimoniali potest præstari, quando agitur de matrimonio contrahendo, arg. e. 2. de Sponsal. vel de conservando contratto, in quo nullum dirimens impedimentum invenitur: secus est, si de matrimonio legitime contracto agatur ad ejus dissolutionem; arg. e. fin. de Transaction. Siquidem hoc non potest voluntate partium dissolvi, cum jam indissolubile sit. At verò consensu partium potest matrimonium contrahi, & invalide contractum ex defectu consensus potest utique consolidari. e. 2. de Sponsalib. idem dicendum est de professione religiosa, quæ se habet ut matrimonium spirituale; arg. e. 2. de Translat. Episcop. in causa itidem criminali non solum potest actor reo juramentum deferre, sed & reus actori ab generaliter. Text. in *L. 3. §. 1. ff. b. t.* ibi: *Quacunque autem actione quis conveniatur, si juraverit proficiet ei jus jurandum.* Alij tamen aliter sentiunt. Si tamen contra reum ad-

sint

sint urgentia indicia reus ipse torquetur, nec actori deferitur juramentum, nisi actor sit bonæ famæ, & non procedatur ad poenam sanguinis. *L. 10. tit. 11. p. 3.* Et quidem juramentum reo delatum ipsi prodest contra accusatorem tantum, non verò contra alias personas, multoque minus contra Judicem, cum res inter alios acta, alijs nocere non debeat.

207. Cum hoc juramentum ex conventionione partium deferatur, ipsum potest deferre omnis ille, qui potest pacisci; arg. *L. 17. ff. b. t.* sive actor sit, sive reus. *L. 28. ff. eod.* ac proinde possunt illud deferre Prælati in rebus suæ Ecclesiæ, Tutor, & Curator in rebus suorum minorum. *L. 17. ff. b. t.* Procurator habens speciale mandatum, nec sufficit generale ad litem, nisi sit cum libera, vel si sit Procurator in rem suam. *L. 4. tit. 11. p. 3.* Item servus, & filius familias, si liberam peculij administrationem habeant, in illius rebus possunt deferre juramentum. Item minor, si Curatore careat, imò juxta Perez, & alios, etiam quando Curatorem habet, sed tunc probabilis non potest à minori juramentum deferri: quia hæc delatio tendit ad alienationem, ac proinde minor Curatore habens, cum non possit alienare, non potest deferre: & adeo nulla est delatio, ut restitutione non indigeat. *L. 3. C. de integ. restitution.* Si verò cum autoritate Curatoris deferat, si læsus est, potest restitui. *Greg. Lop. in L. 3. tit. 11. p. 3.* Pupillus cum Tutoris autoritate potest juramentum deferre, secus aliter. *L. 17. §. 1. ff. b. t.* illud itidem deferri potest omnibus illis, qui ex conventionione obligari valent sine distinctione sexus, vel ætatis. *L. 26. ff. b. t.* Non tamen potest deferri furiosis, nec mente captis, nec pupillo sine Tutoris autoritate. *L. 32. ff. b. t.* nec filio in re patris, nec servo in re Domini, nec alijs in re, cujus liberam administrationem non habent. *L. 20. §. seqq. ff. b. t.* Professio juramentum delatum solum habet vim contra eum, qui detulit, vel in ejus locum succedentem, non tamen contra tertium, quia non debet alij nocere, quod inter alios actum est. *L. 9. §. fin. l. 10. ff. b. t.* At verò juramentum Tutoris, servi, vel filij familias prodest pupillo, Domino, & patri, siquidem eorum nomine præstitum fuisset. Et si eus ex pluribus reis debendi, vel ex reis credendi, juret, vel deferat juramentum prodest, vel nocet ceteris socijs. Similiter juramentum rei prodest fidejussori, & juramentum fidejussoris prodest reo, si ju-

Tom. I.

ret, se solvissit: quod si juret, se non solvissit, sibi prodest, non tamen principali. *L. 17. tit. 11. p. 3.* Quod si alicui extraneo sit delatum juramentum in causa ad tertium pertinente, si ille juret, prodest tertio juramentum, quia se habet ille qui jurat, ut tertij negotiorum gestor: quod præcipue habet locum in defensorum judiciali. *L. fin. §. 2. ff. b. t.* Demum, quilibet, cui hoc juramentum deferatur, potest suo arbitrio illud reculare omnino; siquidem conventionale, & voluntarium est, vel potest, si velit, illud præstare, vel si malit illud reculare: id est illud suo adversario offerre, & petere, quod ipse juret: Nam æquitas naturalis dicitur, quod quis patiatur Legem, quam ipse tulit. *C. 6. de Constitution.* Et ille, cui est relatum potest illud similiter reculare, cum ex utraque parte liberum, & voluntarium sit. *L. 2. ff. b. t.* Qui tamen semel illud suscepit, tenetur jurare: quod si recuset pro confesso habeatur. *Arg. L. 5. C. de Oblig. & action.* Et ideo dicitur in *L. 17. ff. b. t.* *Jus jurandum, quod ex conventionione extra judicium deferatur, referri non potest.* Id est, cum effecta, ita ut deferens sibi relatum debeat præstare.

208. Juramentum necessarium, quod etiam ad litium decisionem deservit est illud, quod Judex Ordinarius, vel Delegatus. *L. 1. l. 31. ff. b. t.* quin, & arbiter. *arg. l. 1. ff. de Recept. qui arbit.* ob inopiam piæ probationis, causa cognita uni ex litigantibus ad instantiam parus, vel ex officio deferat, quando ita æquum esse judicaverit: imò sæpe aliquomodo illud deferre tenetur, ut exacte impleat suum ministerium. *L. 3. C. de Rebus creditis. C. fin. §. Sane, b. t. l. 2. tit. 11. p. 3.* præcipue in casibus, in quibus periculum animæ, seu peccati subest. Hoc igitur juramentum duplex est: Aliud supplementarium, cujus scilicet adminiculo actor complet probationem, quando tantum semiplene probaverat. Aliud purgatorium, quo, scilicet, reus suspicionibus, quibus oneratus est, se purgat, & suam innocentiam ostendit. Et hæc regulariter in quacunque causa potest Judex hoc juramentum, quod est de genere permissorium, deferre. *L. 3. §. 1. ff. b. t.* nisi in causis, in quibus probationes manifestæ, & liquidissimæ, & luce clariore ab ipsa Lege requiruntur: quia ex eo quod tales exigat probationes, probationis supplementum crediti excludere: Sic in causa criminali criminaliter intentata, licet reo possit indicij purgatio per juramentum. *C. fin. §. Sane, b. t.*

Ti

b. t.

b. t. non tamen potest actor, qui semiplenè probavit supplementum ex juramento emendicare; sed tunc ad rei torturam proceditur: quippe in tali causa probationes, luce meridiana clariiores, requiruntur. *L. fin. C. de Probat.* debetque reus esse confessus, vel convictus. *L. 16. C. de Pœnis.* Nec potest deferre juramentum in causis matrimonialibus, quando agitur de dissolvendo matrimonio legitime contracto. Hac namque causa valde ardua est. Si verò agatur de eò contrahendo, vel conservando contracto potest petenti, post semiplenam probationem, juramentum deferri, si non suspectus, sed integræ famæ sit. *c. 34. b. t. Et ibid. Barbos.* idem dicendum est de matrimonio spirituali, scilicet, de professione religiosa. *Arg. c. 2. de Translat. Episcop.* In causa verò famosa, v. g. furti, vel injuriarum, in qua condemnatus sit infamis, non actori ad supplementum, sed reo ad purgationem potest deferri juramentum. *c. fin. §. Sanè, b. t. l. 6. §. 4. ff. de His, qui noxant. infam.* Nec deferendum est in causa civili valde ardua, quippè quæ criminali æquiparatur. In causa autem criminali civilerè intentata, ex qua solum venit pena pecuniaria parti applicanda, bene potest deferri: Quando est applicanda fisco deferri posse negat *Menochius*, sed *Julius Clarus* permittit. Denique deferendum est, quando vix aliquid deest ad probationem: Nam semper tale juramentum facit saltem indicium, quo probatio compleri possit. De quibus vid. *Menoch. de Arbitr. cas. 464.*

209 In Judicis igitur arbitrio est, præcedente tamen causa cognitione. *L. 3. C. de Rebus credit.* hoc juramentum deferre, vel nulli, vel actori, vel reo; dummodo personæ integræ fidei deferatur, & quæ veram rei scientiam habeat per sensum corporeum adquisitam; quia testi æquiparatur, ac proinde si tantum de credulitate, non verò de scientia, & certa notitia juret, ei non creditur. Sic contra varios variè sentientes tenent *Menoch. de Arbitr. cas. 190. Valens. in Pres. §. 5. n. 11. & alij.* Quod clarè constat ex *C. fin. §. Sanè, b. t. ibi: Sanè si actor omnino in probatione defecerit, reus debet, & si nihil præstiterit, obtinere. Præsumptione verò faciente pro illo, reo deferri potest ad ostendendam suam innocentiam juramentum: nisi Judex (inspèctis personarum, & causæ circumstantijs) illud actori videat deferendum. *L. 2. tit. 11. p. 3.* Hinc est, quod si actor, qui ad judicium debet instruc-*

tus accedere, nihil probat, reus, & si nihil probet absolvitur, nec est necesse ei juramentum deferre. Si actor plenè probavit, & si reus semiplenè contrarium probaverit, nulli deferitur juramentum, utpotè non necessarium. *Arg. c. 2. de Probat.* sed tunc sententia pro actore fertur. Quid enim supplendum est, si completa est probatio? Si verò probationes sunt componibiles, ut quia actor plenè probavit, le mutuum Cajo dedisse, & Cajus semiplenè probaverit, mutuum reddidisse, reo deferitur juramentum, quia probatio non stat contra exceptionem, nec ipsam elidit. Si uterque plenè probavit contraria, & incomponibilia, Judex, vel rem abfolvet, vel illi deferet juramentum: quia ejus conditio favorabilior est. *c. fin. b. t. l. 125. ff. de Reg. jur.* nisi majorem probabilitatem veritatis ex actore speret. Idem dicendum est, quando ab utroque est allata semiplena probatio. Si pro actore slet præsumptio, reo, quia favorabilior ejus conditio est. *L. 125. ff. de Reg. jur.* deferitur juramentum purgatorium: nec actori potest supplementum deferri: quia hoc ut semiplena probatio non potest cum præsumptione plenam probationem facere. Secus est, si actor semiplenè probavit, nihil reo præstante; nam tunc juramentum deferendum est actori, ut probationem compleat. Ut enim juramentum deferatur debet adesse probatio semiplena, quæ per contrariam probationem non sit diminuta, nec debilitata: alias juramentum, quod est tantum semiplena probatio non faceret cum ea plenam probationem.

210 Hoc equidem juramentum debet peti ante conclusionem in causa, post publicatas tamen attestaciones: Tunc enim constat parti, an tantum semiplenè probatum sit. Post conclusionem tamen in causa non deferitur ad instantiam partis, quia jam probationibus renuntiasse censetur, & consequenter juri petendi juramentum. At verò Judex, cum ex officio pro veritate eruenda debeat laborare, potest, etiam post conclusionem in causa, illud deferre. *L. 21. ff. de Interrogat. in jur. ibi: Ubicumque Judicem æquitas moverit, aequè oportere fieri interrogationem, dubium non est. Et ibid. Gothofr.* Is, cui hoc juramentum deferitur, non potest illud reculare, vel adversario referre, sed omnino illud præstare tenetur. *c. fin. b. t. Et ibid. Barb. & Gonz. l. 12. §. 1. C. de Rebus credit.* Et hac ratione necessarium dicitur. *L. 2. tit. 11. p. 3.* Nec Judex ipse post illud

illud delatum remittere valet. *L. 3. C. de Rebus credit.* nisi deulerit personæ deferri prohibita. *L. 14. ff. de Re judic.* Ex justa tamen causa, arbitrio Judicis æstimanda, potest etiam juramentum necessarium à parte reculari. *c. fin. b. t. l. 2. tit. 11. p. 3.* Qui verò sine justa causa illud recusat, à causa cadit, & contra eum pronuntiat Judex: quia præsumitur solum ex metu perjurij recusatam. *L. 2. tit. 11. p. 3.* post juramentum ergo prælitum, cum per ipsum sit completa probatio, Judex fert sententiam pro eo, qui juravit: Adversarius tamen potest, à tali sententia appellare: imò si nova instrumenta reperiantur ab actore, vel reo (secus dicendum est de testibus ob subornationis periculum) idem Judex potest suam sententiam rescindere, & retrahere. *L. 31. ff. b. t. l. 15. l. 25. tit. 11. p. 3. Et ibid. Greg. Lopez:* quippè tunc jam cessat inopia probationum, ob quam juramentum fuit delatum. Et in hoc differt juramentum necessarium à voluntario, & judiciali: quia cum hæc à consensu partium proveniant, habent rationem conventionis, & transactionis, & non retrahatur sententia prætextu novæ probationis inventæ. *L. 25. tit. 11. p. 3.* Et quod semel placuit amplius displicere non potest. *c. 21. c. 33. de Reg. jur. in 6. l. 5. C. de O. & A. præcipuè accedente juramenti religione. Arg. c. 28. b. t.*

211 Juramentum *judiciale*, quod est ultima species decidendi controversias, est quod pars parti fertur in judicio, & Judice approbante, & ideo dicitur *judiciale*. Daturque ea lege, ut jurans absque ulteriori processu obrineat victoriam, & Judex cogit eum, cui deferitur vel jurare, vel juramentum referre alteri parti, vel solvere. *L. 34. §. 6. ff. b. t.* quin possit reculare omnino juramentum, sed illud acceptare, vel referre tenetur. *L. 2. tit. 11. p. 3.* in quo præcipuè differt à voluntario. Et non solum actor reo, sed etiam reus actori potest hoc juramentum deferre. *L. 12. C. de Rebus credit. l. 3. tit. 11. p. 3.* Et quidem in omni causa judiciali deferri valet hoc juramentum. *L. 3. §. 1. ff. b. t. & similiter potest referri, nisi referatur in facto alieno respectu deferentis: Nam tunc non potest ipsi referri, ne periculo perjurij obijciatur. *L. 11. §. 2. ff. de Action. rer. amot.* alias causas jam supra excepimus. Hoc juramentum etiam potest deferre Procurator, si habeat speciale mandatum, vel generale cum libera potestate, vel si datus sit in rem suam: secus est extra hoc casus. *L. 4. tit. 11. p. 3.* Non ta-*

Tom. I.

men potest hoc juramentum deferre, nec illud acceptare, si deferatur, minor 25. annis, nec prodigus, nec fatuus, nec servus, nec filius familias, nisi de mandato, & licentia eorum, sub quorum potestate constituti sunt: quod si aliter factum sit, sententia lata in eorum præjudicium non valet: Nec patri nocet, si filius super peculio patris deferat alteri juramentum, nisi si habeat liberam peculij administrationem tam in judicio, quam extra. *L. 3. tit. 11. p. 3.* sed si alicui ex prædictis deierit, valet quod jurat ad commodum suum, vel patris, vel Domini. *L. 3. l. 7. tit. 11. p. 3.* Et generaliter, actorem etiam omnino præsumptione in sui favorem sit destitutum, posse juramentum reo deferre: & hunc teneri illud præstare vel referre, vel solvere, tenet *Jason ex L. 38. ff. b. t. cum alijs.* Dicendum tamen est, quod solum quando actor habeat pro se præsumptionem non levem, potest deferre juramentum reo, & Judex cum cogere præstare juramentum, vel referre, vel solvere. *c. fin. §. Sanè, b. t.* ubi nec Judici permittitur reo juramentum deferre, quando non adest saltem præsumptio contra illum, ac per consequens, nec juramentum ab actore delatum, utpotè sufficienti causa destitutum, potest approbare. Siquidem actor non probante, reus, & si nihil præstiterit, absolvendus est: ac proinde, & si non juraverit. *L. 4. C. de Edendo. c. fin. §. Sanè, b. t.* Et si reus jurare teneretur, etiam actore nihil probante, vel nulla præsumptione in sui favorem instructo, hoc novo onere gravaretur: nec ipsi esset securum actori juramentum referre: nam si hic injustè litem movit, nec pejerare timebit spe victoria inductus.

212 Hoc quidem juramentum postquam delatum est, & ab altero acceptatum non potest à deferente revocari: Nam quod semel placuit, amplius displicere non potest. *c. 21. c. 33. de Reg. jur. in 6. l. 5. C. de O. & A.* At verò si nondum sit à parte contraria acceptatum, potest ipse deferens juramentum liberè illud revocare. *L. 8. tit. 11. p. 3.* Ille autem, cui hujusmodi juramentum delatum est, cogitur alternativè vel jurare, vel deferenti referre. *c. fin. b. t.* Is verò cui relatum est, jurare cogitur. *L. 34. §. 7. ff. b. t.* Non tamen potest iterum referre: nec enim debet reculare Legem quam ipse tulit. *L. 21. l. 8. tit. 11. p. 3.* Si verò is, cui delatum est, illud simpliciter sine legitima causa recuset, si est actor à judicio repellitur, si est reus habetur pro confessio, & ut talis ad

Tit 2

tit. 11.

fatistaciendum actori condemnatur. *L. 34. §. fin. ff. b. t. l. 8. tit. 11. p. 3.* nisi illum, cui defertur, iusta causa excuset, cur, non debeat jurare: Scilicet, si deferenti, vel ob incompetentiā fori, vel alia de causa actori non competat. *L. 35. §. fin. ff. b. t. vel si deferens antea derulit, & revocavit. L. 11. C. de Rebus credit.* Nec enim is, qui semel revocavit potest iterum juramentum deferre. *L. 8. tit. 11. p. 3.* Vel si is, cui defertur, habet suam intentionem plenē probatam: Siquidem solum datur locus juramento, alij legitimis probationibus deficientibus. *e. 2. de Probat. l. 5. tit. 11. p. 3.* Vel si alicui super facto ipsi ignoto defertur. *L. 4. ff. de in litem jurand.* Vel si deferens nolit de calumnia jurare ad petitionem adversarij. *L. 34. §. 4. ff. b. t.* Vel si Judici videatur, aliquem, cui delatum est juramentum, non cogere ut juret. *e. fin. §. sanē, b. t.* Qui tamen semel recusavit jurare, non admittitur postea ad jurandum sine partis consensu. *L. 8. tit. 11. p. 3.* Præfatio igitur a parte juramento, reulat ex co actio, & exceptio, ipsiūque præfatio habetur pro probatione. *L. 5. §. 2. ff. b. t.* Et tandem sequitur sententia condemnatoria, vel abolutoria, quæ conformis erit juramento. *L. 34. §. fin. ff. b. t.* quæ adeo firma est, ut non retractetur, etiam si postea aliqua instrumenta reperiantur. *L. 25. tit. 11. p. 3.* nisi hoc specialiter à Lege, vel partibus excipiatur: nec à tali sententia appellatur. *L. 12. §. 3. C. de Rebus credit.* Et licet attentio juris rigore non retractetur sententia, etiam detecto perjurio. *L. 1. C. de Rebus credit.* atram æquitate attentata potest utique perjurio detecto sententia revocari.

213 Ultra prædictas species juramenti asertorij datur alia, quæ dicitur *juramentum in litem*, & est illud, quo lis, seu res, de qua in iudicio agitur, affirmatur. *L. 1. ff. de in litem jurand.* Et adeo solet appellari affirmatorij litis, & solum Judicis autoritate interveniente potest deferri. *L. 5. tit. 11. p. 3.* Hoc quidem juramentum triplex est, scilicet *veræ estimationis, seu veritatis, juramentum affectionis, & juramentum super interesse singulari, seu extra rem.* Juramentum ergo in litem potest deferri actori, qui Dominus litis sit, & eam suo nomine sit contestatus. *L. 7. ff. de in litem jur.* & ejus hæredi, si Dominus litis est mortuus, quando jam erat paratus ad juramentum præstandum: Nam tunc hæres loco defuncti jurare censetur; imo hæres potest jurare, quotiescumque

de negotio est sufficienter instructus. Etiam defertur Tutori, Curatori, & Procuratori, si habeat speciale ad hoc mandatum, in rebus pupilli, minoris, & ejus ejus mandatum habent, quia licet prædicti non sint Domini litis loco Dominorum habentur. *L. 27. ff. de Administrat. tutor.* Etiam minori defertur, nam Dominus litis est: non tamen pupillo, etiam si Dominus litis sit: quia minor licet requiratur in lite Curatoris assistentiam, tamen litem suo nomine contestati videtur: pupillus verò non aliter agit, nec convenitur in lite, quam Tutore auctore, ita ut non tam ipse, quam Tutor litem contestari videatur. Matri tamen pro filio non defertur, quia non est Domina litis. *L. 4. ff. de in litem jur. l. 7. tit. 11. p. 3.* Juramentum igitur veritatis defertur à Judice, & etiam à reo actori Domino litis, quando reus jam rem nequit restituere ad cognoscendum verum valorem intrinsecum rei amissa per vim, vel dolum alterius. *e. fin. de His, qua vi.* Independentem ab extrinseca affectione, lucro, damno, & interesse, quod actor potuisset habere, vel quo caret. Actor etenim coram Judice designat res sibi ablatas, & pretium illarum: tunc Judex eas taxat, vel juxta pretium assignatum, vel illud moderando: tunc jurat actor, quod non minus perdidit, & reus condemnatur illud restituere, nisi ostendat, rem minus valuisse, & tunc Judex debet minuire summam juratam: quod si reus credat Judicis taxationem iniquam esse, ab ea appellatur. Sed ultra taxationem non jurat. Et quidem hoc juramentum defertur in omnibus omnino actionibus, sive proveniant ex delicto, vel ex contractu. Et etiam, si contractus sit stricti juris, vel bonæ fidei. *L. 5. ff. de in litem jurand.* ut tamen deferatur requiritur. 1. Quod aliunde non possit constare, quanti aestimanda sit res: Nam solum ad hoc præstat, ac proinde si aliunde de vero valore rei constet, cum juramentum non sit necessarium confesquenter præstandum non est. *L. 5. §. fin. ff. de in litem jur. l. 5. tit. 11. p. 3.* Requiritur, quod res non possit præstari, nec restitui ex culpa saltem levi debitoris. 2. Quod fiat æstimatio relatè ad tempus, non obligationis contractæ, sed solutionis faciendæ: Sed si mora intercessit, à tempore moræ sit computatio. *Arg. l. 31. ff. de Rebus credit.*

214 Juramentum æstimationis est, quod defertur ad cognoscendam rei æstimationem, non secundum communem valorem;

sed secundum privatam affectionem, & utilitatem Domini: actor enim coram Judice rem sibi ablatam designat, & sub juramento dicit pretium, quo rem æstimat secundum suam affectionem, & Judex eum condemnat in summam juratam. Quod si exorbitans sit, Judex eam moderari valet. *L. 4. §. 2. ff. de in litem jur. v. g. si quis habet librum, instrumentum Musicum, vel Mathematicum, equum, & avem, vel quid simile, quod tantum duobus argenteis, secundum intrinsecum valorem æstimatur, sed Dominus illud viginti argenteis æstimat, quia ea res sibi valde utilis, vel necessaria, vel jucunda est. In nostra tamen Hispania prius debet Judex taxare rem, quam præstetur juramentum, licet de Jure Communi utrumque admittatur. Nec potest res taxari ultra duplum interesse communis, & juramento sic facto, & declarato, Judex profert sententiam secundum æstimationem, & declarationem jurantis. *L. 5. tit. 11. p. 3. Et ibid. Greg. Lopez.* Et sanè cum hoc juramentum in poenam doli, & contumaciæ deferatur, solus Judex, qui habet potestatem puniendi, illud deferre valet: quod si Judex non defert, erit nullum juramentum, si forte præstetur. *L. 4. §. 1. ff. de in litem jur.* Et quidem ex officio illud tenetur præstare, quando res post contumaciæ debitoris in restituendo, amplius non extat, quod si post talem contumaciæ res adhuc extet; in arbitrio Judicis est, vel juramentum deferre actori, vel rem manu militari à reo eripere. *L. 4. l. 5. ff. de in litem jur.* solumque defertur in actionibus in rem. *L. 5. ff. de in lit. jur.* & in actionibus ad exhibendum, de dolo, quod metus causa, interdico quod vi, aut clam, & in actionibus bonæ fidei directis, non tamen in contrariis. *L. 5. ff. Depositi.* In his namque non agitur de dolo, sed tantum de indemnitate actionem intentantis. Nec habet locum in actionibus stricti juris. *L. 5. ff. de in litem jur.* Hoc itidem juramentum defertur contra eum, qui rem restituere condemnatus ob dolum, vel non restituit, vel non exhibet, vel dolo fecit, quominus restituere possit: si verò lata culpa fecit, ut rem amplius non possit restituere, cum hæc dolo æquiparetur, potest contra ipsum deferri. *L. 2. C. de in litem jur.* Neque *L. 4. §. fin. Et l. 5. §. 3. ff. de in litem jurand.* contrarium probant: nam culpa, de qua ibi, intelligitur de levi. Etiam defertur hoc juramentum contra defuncti hæredem, et si hic dolum non commisset, si lis cum defuncto jam*

erat contestata: quia tunc est prosecutio actionis jam cum defuncto coacta: secus est, si lis nondum erat cum defuncto contestata. Nam tunc nequit hæredi nocere dolum defuncti ante actionem coactam. Et à fortiori non habet locum hoc juramentum contra tertium possessorem, si ipse dolo careat in destructione, vel amissione rei: quia cum finis hujus juramenti sit dolum, & contumaciæ rei punire, quoties hæc ratio cessat, cessat & juramentum, & tantum estimatur verum rei interesse non tamen interesse affectionis. *L. 2. ff. de in litem jurand.* Denique *juramentum super interesse singulari, seu extra rem* defertur à Judice, vel eo præsentè, à reo ad cognoscendum, non valorem intrinsecum rei, nec specialem affectionem erga illam, quia non agitur de hoc, sed ad cognoscendum damnum Domino teutum ex ablatione rei, vel ex alia injusta detentione. *V. g. Titius, qui habebat depositam pecuniam apud Sejum passus est grave damnum, ex eo quod tempore debito sua pecunia non sit restituta à Sejo, Siquidem ob ejus defectum majus pretium præstitit pro re, quam emit, quam præstaret, si suo tempore esset pecunia restituta: hoc ergo damnum à Sejo petit. *L. 3. ff. de in lit. jurand.* Judex taxat interesse, & Titius jurat tanti valere; & non antea jurat, saltem de Jure Hispano. *L. 5. tit. 11. p. 3. Et ibid. Greg. Lopez. V. Ponce,* ubi notat, quod de Jure Communi potest fieri taxatio, vel ante, vel post juramentum.*

215 Ad juramentum promissorium, quo scilicet, promissio in futurum firmatur, gradum faciamus. Hoc igitur juramentum parit obligationem personalem Religionis, quæ solum jurantem afficit: sicut enim nemo jurat, nisi suo consensu, ita nemo sine suo consensu juramento obligatur: ac deinde quatenus promissorium est, producit obligationem justitiæ, saltem quando promissio est à promissario acceptata: ac proinde successores in aliqua Communitate, Civitate, vel Collegio, si forte talis Communitas aliquod juramentum, ut potest, præstitit, *e. 25. de Prebend.* non tenentur ex vi juramenti à suis antecessoribus facti, illud, quod juratum est, adimplere; tenentur tamen obligatione justitiæ, vel fidelitatis ex vi promissionis, vel contractus, quæ ad successores, & hæredes, etiam nulla ipsorum facta mentione transit, & descendit. *L. 13. C. de Contrab. stipulat.* Et hac ratione hæredes, Reges, Episcopi, Canonici, Decu-

riones, Doctores, Collega, & ceteri particulares Communitatum, Civitatum, Universitatum, & Collegiorum tenentur antecessorum juramenta servare, non quidem quatenus sunt juramenta, sed quatenus sunt pacta licita, & valida in vi consuetudinis iustæ, Legis, vel alio simili modo, ut ait *Suar. de juram. lib. 2. cap. 31. n. 13.* Et minor pars Communitatis juramentum à majori parte factum servare tenetur: imò & ad jurandum potest cogi, quia tenetur se majori parti conformare, ac sequi ejus suffragia, & conventionem. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 4. ibi: Dicendum, quod quia juramentum est actio personalis, ille, qui de novo fit civis alicujus Civitatis non obligatur quasi juramento ad servandam illa, que Civitas se servaturam juravit. Tamen tenetur ex quadam fidelitate, ex qua obligatur, ut sicut fit socius honorum Civitatis, ita etiam fiat particeps onerum. Canonici vero, qui jurant, se servaturam statuta edita in aliquo Collegio, non tenentur ex juramento ad servandum futura, nisi intendunt se obligare ad omnia statuta præterita, & futura: tenetur tamen ea servare ex ipsa vi statutorum: que habent coercitivam virtutem. Latus *Suar. de juram. lib. 2. cap. 31. ex n. 9.* Si verò juramentum non servatur à majori parte Civitatis, vel Communitatis non videntur alij teneri, nec pro tali casu censentur se voluisse obligare. *Sà V. Juramentum, n. 25.* Ille equidem, qui jurat statuta Civitatis, Universitatis, vel Collegij, Confraternitatis, vel alterius Communitatis solum tenetur, etiam vi juramenti ea servare eo modo, quo ipsa statuta obligant, ita, ut si statuta solum ad poenam obligent, solum ad poenam obliget juramentum: si statuta ad culpam gravem, vel levem obligent, ad eandem obliget juramentum. *Cl. 1. de V. S. Nam hoc interpretatur juxta naturam actus, qui accedit. L. fin. C. de Non numer. pecun. Et ibid. Gotthfr. c. 25. b. t.* Et hoc solum modo obligantur Doctores, & Academici, quando aliquid ipsis injungitur à Rectore sub poena præstiti juramenti. *Mendo de Jure Academico, lib. 2. q. 13. ex n. 110. Sanchez. in Decal. lib. 3. cap. 14. n. 2.* At verò ille, qui juravit aliquid facere, & in quo est radicata personalis obligatio juramenti, vi illius tenetur hæredibus, & successores ejus, cui juratum est. *c. 14. b. t. l. 9. ff. de Probation. Suar. de juram. lib. 2. cap. 31. n. 14.* Hinc, qui obedientiam, vel fidelitatem juravit alicui in officio, vel dignitate constituto, non solum sub nomine appellativo dignitatis, vel of-*

ficii, sed expresso nomine persona tenetur fidelitatem, & obedientiam præstare omnibus successoribus in dignitate, vel officio, etiamsi antecessor vivat, & resignavit, vel à dignitate, vel officio fuit remotus. *c. 34. in fin. de Elect. liquidem juramentum potius fit ratione dignitatis, quam numquam moritur, quam persona: ac proinde ad succedentes in eam transit. c. 5. de Rescript. in 6.* Nec est necesse juramentum apud successorem renovare: de novo tamen sapere præstatum ob majorem firmitatem, securitatem, & solemnitatem. Etiam per Procuratorem potest quis facere juramentum, & per ipsum obligari, si cut potest per se jurare, & obligari. *c. 68. de Reg. jur. in 6. ibi: Potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum.* Sicut potest quis per Procuratorem matrimonium contrahere. *c. fin. de Procurat. in 6.* At verò ut Procurator, possit nomine alterius juramentum præstare debet esse instructus speciali mandato, nec enim sufficit generale mandatum. *c. 4. D. 100. c. 3. de juram. calumn. in 6.* Imò & aliquando, nec speciale mandatum sufficit: quando scilicet jus exigit, quod in persona propria fiat, quale est juramentum, quod testes præstant in judicio de dicenda veritate. *Suar. de juram. lib. 2. cap. 31. ex num. 3.*

216 Juramentum, quantumvis absolutum appareat, quoad corticem verborum, regulariter in se imbibit has conditiones. 1. si res in eodem statu permanferit. *c. 14. 22. q. 2. l. 38. ff. de Solution. hoc est: nisi talis mutatio fiat, ut non sit verisimile, jurantem se obligare pro tali casu voluisse. Nec enim tenetur quis juramento; quando notabilis mutatio rei contingit. *L. 38. ff. de Solution. ibi: Cum quis sibi, aut Titio dari stipulatus est, magis esse ait, ut ita demum rectè Titio solvi dicendum sit, si in eodem statu maneat, quod fuit, cum stipulatio interponeretur.* Sic sponsalia etiam jurata non tenent, si fornicetur sponsa, vel notabiliter deformis efficiatur. *c. 25. b. t. vel si qui ea juravit, vel lit ingredi Religionem: nam solum promissa, & jurata censentur sub hac ratiõ conditione. *c. 2. c. 7. de Convers. conjugat. 2. conditio in juramento implicita est, si alter servet fidem: fides enim non debetur frangenti fidem. *c. 3. c. 29. §. 1. b. t. l. 21. C. de Pænit. l. 28. tit. 11. p. 3. ibi: Sin todo esto decimos aun, que qualquier que ponga pleyto con otro por jurar, que si aquel con quien lo puso lo quebrantare primero, que es escusado de no caer en perjurio, maguer****

non la guarde. Cà non es derecho que sea guardado pleyto, nin jurar aquel que primeramente lo quebrantò. Hec quippe videtur ad propriam defensionem pertinere, quasi vim vi repellendo, ut quidam Poeta considerabat: *Judice me, fraus est concessa repellere fraudem, armaque in armatos sumere jura sinunt.* 3. conditio inclusa est: si Superiori, vel tertio non sequatur aliquod præjudicium, seu salvo illorum jure, vel nisi Superior dispenset. *c. 19. b. t. arg. c. 5. de Voto, & vot. L. 27. tit. 11. p. 3. 4. si is, cui juratum est non remittat juramentum. c. 2. de Sponsal. L. 27. tit. 11. p. 3.* quia quilibet potest pro suo arbitrio, & sine causa suo juri renuntiare, *L. 29. C. de Pænit.* Denique, & præcipue semper in juramento subintelligitur: *Si potuero non solum potentia facti, cum impossibilium nulla sit obligatio. *L. 185. ff. de Reg. jur. c. 6. eod. in 6. l. 27. tit. 11. p. 3.* sed etiam potentia juris, seu morali, hoc est, quod licite, & de jure fieri possit. *D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. ad 1. ibi: Ille, qui jurat, se facturum aliquid illicitum jurando incurrit perjurium propter defectum justitiæ: sed si non impleat; quod juravit in hoc perjurium non incurrit, quia hoc non erat tale quid, quod sub juramento cadere possit.* Et merito quidem: nam non est obligatorum juramentum contra bonos mores præstitum. *c. 58. de Reg. jur. in 6.* Sic igitur impossibile censetur, quod Jure Naturali, Divino, Canonico, vel etiam Civili est prohibitum, vel si quomodocumque vergat in salutis aeternæ dispendium. *c. 28. b. t. L. 27. tit. 11. p. 3.* Sicque nullius roboris est juramentum de homicidio faciendo, vel juramentum cedens in dedecus Principis, vel Patriæ, & præcipue in detrimentum animæ. *c. 5. 22. q. 4. L. 11. tit. 11. p. 3. Et ibid. Greg. Lop. vel si cedat in præjudicium boni publici: ut si invitet ad liberius delinquendum, v. gr. si promittatur impunitas criminibus. *c. 35. de Sentent. excom. L. 51. §. fin. ff. ad Leg. Aquil. vel si maritus uxori juravit, quod non sit illam accusaturus de adulterio, vel alio crimine. *c. 25. §. illud, b. t. vel si Religiosus jurat, se non permanurum in Monasterio suæ professionis. *c. 13. b. t. vel si filius juret, se non exhibere reverentiam, vel subsidia vitæ necessaria parentibus in necessitate constitutus. *c. 12. §. Ili. b. t. vel si juret Prælati, se non repetiturum res suæ Ecclesiæ injustè ablatas. *c. 2. b. t. vel si Prælati propriis rebus spoliatus metu jurasset, eas non repetiturum, juramentum servare tenere-*******

tur. *c. 8. b. t.* Nec valet juramentum, quo Vasallus jurat fidelitatem, & obedientiam sui Principis hosti. *c. 22. b. t.* quia, utpotè illicitum non obligat: & debet suo Principi obedientiam, & fidelitatem servare. Sic cum aliquis jurat, se facturum voluntatem alterius, intelligenda est debita conditio: si licet, id, quod ei mandatur, licitum sit, & honestum; & portabile, sive moderatum: In his, & similibus casibus juramentum factum non valet, ac consequenter non obligat, quippe juramentum, quod est inductum, ut sit vinculum religionis firmissimum, non debet ex hominum malitia vinculum fieri iniquitatis. *c. 18. b. t. L. 27. tit. 11. p. 3. D. Thom. 2. 2. q. 98. art. 2. Latè *Suar. de juram. lib. 2. cap. 34.**

217 Similiter juramentum Principis de conservanda moneta, quam scit in legitimo pondere defectum habere, utpotè illicitum non est servandum. Si vero cum juravit nesciebat, monetam esse falsam, vel vitiatam servare debet juramentum eo modo, quo possit, scilicet, substituendo aliam monetam legitimam, vel aliud æquivalens. *c. 18. b. t.* Similiter juramentum Regis de non repetendis bonis, & juribus ad coronam pertinentibus, non valet: nec item valet alienatio, jura rata salium bonorum, cum cedat in detrimentum, & diminutionem Regni. Et idem est de Prælato Ecclesiastico dicendum, si alienet, etiam cum juramento de non repetendo, bona suæ Ecclesiæ. *c. 33. b. t. L. 28. tit. 11. p. 3.* Item juramentum Patronis factum de pensione antiqua augenda non obligat. *c. 11. b. t.* quia licet Patronus, quando aliquam Ecclesiam adificat, reservare possit aliquam pensionem sibi solvendam cum consensu Episcopi. *c. 23. de Jure Patron. postea tamen nihil exigere potest ab Ecclesia, nec augere pensionem. *c. 7. de Censib.* Præterea juramentum, quo Prælati juravit servare aliqua que cedunt in præjudicium Prælati, aut dignitatis non obligat. *c. 27. b. t.* Nec item obligat juramentum de re aliqua sub secreto sibi commissa non revelanda, si legitime à Judice interrogetur, quando in testem producitur: Nam in juramento intelligitur jus Superioris exceptum. *c. 19. b. t.* Nec valet juramentum factum à conjugibus de non petendo sibi ad invicem, nec reddendo debito, in non amore pietatis, & continentia: sed potius ex odio, aut vindicta oriatur. *c. 24. b. t.* Si verò juramentum est impeditivum majoris boni, & tamen in favorem tertij factum*